



INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminem: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. *(Hic Genuflectitur)* **ET VERBUM CARO FACTUM EST** et habitávit in nobis: et vídimus glóriam eius, gloriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.

℞. Deo gratias.



AQUAM INFUNDENS.

DEUS, qui humanæ substántiæ dignitátem mirábiliter condidisti, et mirábiliter reformásti: da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, eius divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus Filius tuus Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíitus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

MANUS LAVANS.

LAVABO inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine. Ut áudiam vocem laudis: et enárrem univérta mirábilia tua. Dómine, diléxi decórem domus tuæ: et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ne perdas cum impiis, Deus, ánimam meam: et cum viris sánguinum vitam meam. In quorum mánibus iniquitátes sunt: dextera eórum repléta est munéribus. Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: rédime me, et miserére mei. Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedicam te, Dómine.

